

Aphorismi de marasmo ex summis medicis collecti / [Samuel Farr].

Contributors

Farr, Samuel, 1741-1795

Publication/Creation

Bristoliae : J.B Becket, 1772.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eyttr5dd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



22,249 A

coll ylt
90

J xxxviii p

18



2/-

ALABAMA

EXAMINEE'S NAME

DATE

AUTHOR

STANDARD



EXAMINER'S NAME

DATE

STANDARD

113(42)

49746
APHORISMI

D E

MARASMO.

EX SUMMIS MEDICIS

COLLECTI.

AUCTORE

SAMUELE FARR, M.D.



BRISTOLIAE.

TYPIS J. B. BECKET.

MDCCLXXII.





PRÆFATIO

EN Lector benevole
opus non magnificum
sed utile. Adeo ferociter
enim nostris in regionibus
grassatur hic morbus, ut
sententias auctorum diver-
sas in privatum quidem
emolumentum primo col-
lectas in lucem prodire

cuperem. Si igitur in hoc
compendio, (forma admo-
dum utilissima) viam faci-
liorem qua hunc affectum
remittamus, ostenderem,
satis meum animum ex-
plevero.



OR.

O R D O
A U C T O R U M .

- I. Systematici Anglici.
- II. Systematici externi.
- III. Systematici antiqui.
- IV. Observationes ex non
systematicis præcipue an-
glicis et recentioribus.

1777

1778

1779

1780

1781

1782

1783

1784

1785

1786

1787

1788

1789

1790

1791

1792

1793

1794

1795

1796

1797

1798

1799



A P H O R I S M I

D E

M A R A S M O .

D E F I N I T I O .

MARASMUS, tabes
est corporis totius,
seu partium ejus quælibet
extenuatio. — Bennet.

Febris quæ leniori gra-
du procedit, vires debi-
litat, tabemque infert,
hectica (seu marasmus)
dicitur. — Home.

Phth.

Phthisis in genere est consumptio partium corporis musculosarum. — Morton.

In a marasmus the body sensibly decays. — Barry.

Phthisis est consumptio, universi habitus corporis. — Van Swieten.

Hæcticæ febres dicuntur eæ quæ diuturnæ sunt, et continuo, licet leniori ac remittente æstu preternaturali succos corporis consumendo, tabem inferunt, viresque debilitant. — Hoffman.

Quando caro absumitur nec restituitur vocatur tabes. — Etmuller.

PHTHISEOS quam Latini
Ta-

Tabem appellant, vocabulum in genere pro omni corporis extenuatione et imminutione accipitur. — Sennertus.

Marasmus est interitus rei viventis. — Nic. Piso.

Quod sit totius corporis consumptio cum febre lenta. — Dolæus.

Marasmus est corruptio viventis corporis — Galen.

Siquis enim vel plebeius hominem videret palentem, imbecillum, tussientem, macie confectum, hunc vera Phthoe laborare pronunciat. — Aretæus.

Si humiditas substantialis in nobis consumatur
huj-

hujusmodi febris a marco-
re Græcis marasmodes ap-
pellatur. sin autem in
totum consumpta fuerit,
aut torrefacta, tunc abso-
lute marasmus constitui-
tur. — Alex. Trallianus.

In hecticis et marasmo-
deis vitalis vis emarcuit
et contabuit. — Actuarius.

Si ipsa solida similarium
partium essentia ficcior
facta est, tabida febris vo-
catur. quum vero in pe-
riculum venerit ut non
amplius supersit aliquid
humiditatis, exactus jam
marasmus consistit. - Ætius.

Div-

DIVISIO.

Phthisis originalis duæ sunt species, Atrophia et Phthisis pulmonalis. — Morton.

Febris hæctica distinguitur in idiopathicam et symptomaticam. — Home.

Multiplices habentur hujus febris divisiones. —
 1. primaria aut secundaria. — 2. simplex et solitaria, aut febre putrida complicata. — 3. a corde incipit, aut ab aliqua parte ut pulmone, hepate, &c. — Riverius.

Atrophia est partialis, aut universalis. — strictius et fere usitatus phthisis dic-

dicitur omnis contabescencia, quæ sequitur corruptionem alicujus visceris nobilioris. — Etmuller.

Si ulcus pulmonis exederit ita ut totus inde habitus corporis consumatur, phthisis pulmonalis ægrum afficere dicitur. — — ut ab ulcere pulmonis ita hepatitis, &c. phthisis produci potest. — Boerhaave.

Quatuor tamen præcipuæ species phthisis reperiuntur, dorsalis, renalis, extenuatio sine ulcere pulmonis, et quæ maxime proprie, ab ulcere pulmonis. — Hollerius.

Tres sunt Tabis species.

1. quidem a pituita quæ pulmones susceperunt. —
 2. a labore. — 3. medulla ipsius spinalis sanguine plena fit.—Hippocrates.

Una est Tabis species, qua corpus non alitur, et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies et nisi occurritur tollit, atrophiam hanc GRÆCI nominant. — altera species est, quam GRÆCI cachexiam appellant, ubi malus corporis habitus est. — Tertia est species quam GRÆCI phthisin nominaverunt. — Celsus.

Duplex est autem genus febrium hecticarum, quædam enim ex ipsis post febres ardentes plerumque fiant, altera vero quum ab initio statim irruerint. — Ætius.

SIGNA et SYMPTOMATA.

1. Hecticæ Febris.

Adfunt calor preternaturalis, — appetitus prostratus, — sitis, — nullus ægritudinis sensus, — oculi cavantur, — venter contrahitur, — diarrheea advenit, — et mors lento gradu advenit. — Home.

In

In hectica æstus est continuus, — pulsus durus, debilis, celer, post cibum et vesperi increfcens, — cutis cum lingua arida, ficca et dura, — genæ rubent, — totum corpus est imbecillum, flaccidum, — somnus reficiens nullus, — urina rubicunda, inferius cum sedimento, superius cum cuticula pinguedinosa, — corpus contabefcat totum adeo, ut ossa ubique promineant. — Hoffman.

Costæ in Thorace protuberant, — Cartilago ensiformis incurvat, — Clunes pendulæ sunt vel omnino consumptæ, — crura, brachia,

chia, pedes manusque cum digitis arida spectantur, et circa articulos protuberantiæ attolli videntur, — ungues curvantur, — pili excidunt, — cutisque flaccida et corrugata existit, -- venæ prominent, undeque conspicuæ et lividæ, &c. — Etmuller.

Calor in hypochondriis primo tactu mitis, post, acer, mordax, aridus, — febrem non percipiunt ægri, -- pigri sunt et ad motum desides, — arteriæ calidiores sunt partibus circumstantibus, quod tactu post lotionem ex aqua frigida dignoscitur. — Riverius.

De-

Dejectiones non sunt pingues atque male olentes ut in putrida. — Forestus.

Corpus attenuatur, cruribus exceptis, hæc enim intumescunt, et pedes et ungues contrahantur, -- ex humeris autem tenue et debile est, -- et fauces velut lanugine implentur, — et fortiter fitit per totum morbum, — et multa impotentia corpus habet, -- oculi cavi, -- nasus acutus, - tempora collapsa, --- aures frigidaë et contractæ, --- cutis dura, -- color pallidus aut niger. — Hippocrates.

Prius enim quam tangas pulsum atque calorem.

oculos supra modum cavos videtis, quasi in foveâ quadam conditos, ob totius humidæ eorum substantiæ consumptionem; ita ut ossa quibus palpebræ annexæ sunt, promineant. quinetiam lippitudines in eis visuntur aridæ, ac quædam squalida dispositio, qualis maxime inest eis, qui per pulverem multum toto die in sole calido fecerunt iter. Flos ipse præterea vividus coloris perit, atque id toti faciei accidit et immoderatus squalor habetur totius cutis circa faciem, maximeque circa frontem, ita ut propter siccitatem

citatem dura atque intenta sit; non tamen queunt palpebras ipsas multum attollere, perinde affecti semper, ut qui dormituriunt.—Galen.

Maximum autem et minime ambiguum naturæ ipsius signum habebis, si cibum homini præbueris.—Ætius.

2. Phthisis Pulmonalis.

Suspicionem dant quidem—1. Hæmoptysi vel doloribus per sternum et costas errabundans, succedens horripilatio. —

2. tussis irrequieta. —

3. dysp-

3. dyspnæa post pastum.—

4. febris hæctica.—Battie.

Mitiores affluxus sui indicium exhibent,—1. per sputationes sanguineas, salinasque stasis (viz. horis.) aliquot periodis.—2. per sputationes et excreationes frequentiores.—3. per interceptas sudoris aliarumque vias excretionum.—4. per sputum substantiæ et superficiiei levioris et inæqualis.—5. per sputum globosum.—6. diffusio fluxus falsuginosi per secessum in articulos.

Vehementiores affluxus significantur,—1. per uberriores sanguinis luteo colore

lore spumantis expuitiones
cum scretu et tussi.--2. per
dolorem pectoris gravati-
vum et periodice pungen-
tem.—3. per anhelitus pe-
riodicam difficultatem.—
4. per manifestum aliarum
partium livamen corporis.

Phthisis impetentis fig-
num detegunt sequentia,
—1. spirituum omnium
torpor.—2. capitis grave-
do.—3. somni longiores.—
4. totius temperatura fri-
gidior.—5. pori exigui et
frigidiores.—6. pulmonis
et musculorum omnium
flacciditas et ad expulsi-
onem segnities.—7. sputum
compactius.—8. pectoris
dolor

dolor gravans. — 9. tussis aliquoties per intervalla, suffocationis periculum inducens. — 10. anhelitus frequentia. — 11. catarrhus sensim, perpetim tamen asperam rigans arteriam. — — 12. expectoratio udo cælo difficilis, fudo facilior. — 13. caro totius corporis humidior cælo statim intenerata, ficciori indurata. — 14. externis aeris suscipiendis pronitas.

Tabis phthificæ ut plurimum signa enumerantur, — 1. tussis acriter premens. — 2. anhelitus fœtor. — 3. dolor pectoris. — 4. omnium virtutum deficientia. — — 5. febris

5. febris putrida. — 6. fluxio
 alvina. — 7. carnis ariditas.
 — 8. extremarum partium
 et totius cuticulæ porrigio.
 — 9. dolor tendens in de-
 cubito. — 10. pulsatio debi-
 lis, parva, frequens. —
 11. pilorum defluvium,
 unguetque curvati pallidi-
 ores, &c. — Bennet.

Gradus hujus morbi sunt,
 1. Infarctio pulmonum. —
 2. tumor renitens. — 3. In-
 flammatio pulmonum. de-
 nique etiam harum partium
 apostema et exulceratio ubi
 ad statum suum pervenit. —
 signa sunt vel prognostica,
 vel diagnostica et pathog-
 nomonica. — prioris generis
 sunt,

sunt, 1. ortus a parentibus.
 —2. mala thoracis confor-
 matio.—3. vox exilis et
 clangosa.—4. cutis alba et
 mollis.—5. habitus muscu-
 lorum mollis et oedemato-
 fus. —6. hypochondriacæ
 oppressiones chronicæ circa
 regionem pectoris.—7. co-
 gitatio, anxietas, &c.—
 8. suppressio solitarum eva-
 cuationum.—9. hæmoptoe.
 —10. matutina et diutur-
 na phlegmatis nigri et vis-
 cosi excreatio.—11. phleg-
 matis excreati falsus atque
 acris sapor.—12. proclivi-
 tas in copiosum salivæ flux-
 um.—13. diuturna et in-
 crescens appetitus prostra-
 tio.

tio. — 14. calor molestus
 faltem plantis pedum et
 volis manuum ortus una
 cum pulsu quam par est
 celeriori. — 15. angustia et
 oppressio pectoris. -- 16. dis-
 positio catarrhalis. — 17. alii
 morbi. — pathognomonica
 signa præsentis phthiseos
 sunt vel incipientis vel con-
 firmatæ, incipientis sunt
 tussis, — febris, — tabes.
 confirmatæ sunt nova fe-
 bris, primo peripneumoni-
 ca dein putrida et intermit-
 tens ; — atque colliquatio
 sanguinis per immanes su-
 dores, tussim catarrhalem,
 diarrhæam, hydropem, ap-
 thas, et peculiarem guttu-
 C ris

ris dolorem inter deglutendum prodens.—Morton.

In secundo stadio, diarrhæa—lienteria,—dysenteria,—vel diabete vexatur,—lingua parvis ulceribus scattet—tandem deglutitionis læsio,—ulceris exsiccatio,—frigus corporis,—et virium defectio ægrum meliora fata expectantem subito faciunt.—Home.

Puris suffocans aliquando secretio, vel quotidiana cum tussi ingens, in aqua subsidens, coacta, dulcis, pinguis, fætida, alba, rubra, flava, livida, cineritia, strigmentosa, igni imposita carnem assam spirans fætidadam.—Boerhaave. Cal-

ulcere testatur, inspiratione magna atque etiam tussi, gravitas aut offendiculum est in affecto latere, e quo et nonnunquam sputum corradi ac educi percipitur. in affectum latus decumbens, spiratio difficilior, tussisque crebrior evadit.—Fernelius.

At purulentos omnes hisce signis cognoscere oportet. primum quidem si febris non dimittit, verum interdiu tenuis detinet, noctu vero major multi sudores oboriuntur, tussisque et tussendi cupiditas ipsis inest, et nihil effatu dignum expuunt, oculique

que cavi fiunt, malas rubores obfident, et ungues quidem manuum adunci evadunt, digiti vero summi maxime incalescunt, et in pedibus tumores fiunt et cibos non appetunt, et phlyctænæ per totum corpus nascuntur. — quum quis pulmonis affectu tabescit, huic sputum crassum, aliquantulum ex virore pallefcens, et dulce per tussim rejiciatur, et stridor et dolor, pectus et dorsum occupat, et tenuis sibilus in faucibus editur, faucesque ficcescunt, cavitates rubent, vox gravis est, partes superiores extenuantur

ac imminuuntur, sputum ore contentum exscreaturus detestatur, mane et medio nocte maxime tussit. — Hippocrates.

Phthysicorum quos vocant pulsus parvus et languidus est, mollisque et modice celer atque hecticus. — Galen.

Simul vero et his adest pectoris gravitas, pulmo enim infirmus est, — angor, — intolerantia, — cibi fastidium, — vespertina extremorum frigiditas et matutina caliditas, — sudor usque ad pectus caliditate molestior, — per tussim varia extruduntur, — vox raucescit,

cescit, — corvix nonnihil tortuosa est, gracilis, non versatilis sed veluti rigens atque intenta, — digiti tennes, sed articuli crassi sunt, ossium duntaxat species remansit, — siquidem et carnes extabescunt, — ungues adunci fiunt. — item nares iisdem acuminatæ, — graciles malæ extantes et rubidæ, — oculi cavi, lucidi, micantes, — tumida, excarnis, pallida seu livida facies est, — buccarum tenuia dentibus inhærent, ridentibus assimilantur, — in omnibus denique cadaveris speciem referunt. — Aretæus.

Fe-

Febricula lenis fit. — frequens tussis est, — pus excreatur, — interdum cruentum aliquid. quicquid excreatum est si in ignem impositum est, mali odoris est. — Celsus.

Phthisis fit frequentius antecedente sanguinis fluxu, aliquando etiam longi temporis tussicula, sive catarrho quo thoracis altiora lacerantur, et primo levius. sequitur autem ægrotantis febricula latens, et sæpe quæ initium die declinante accipiat, atque veniente luce levigetur, attestante tussicula initio noctis, atque fine cum sputis saniosis ac par-

parvulis primo, deinde autem plurimis. ii vero qui ex fluore sanguinis in istam veniunt passionem, primo sanguinolenta sputa efficiuntur, tum feculenta dein livida vel prafina, et in ultimo alba atque purulenta, dulcia vel falsa, cum voce rauca aut clangosa, et difficultate respirationis, atque genarum rubore, et cæteri corporis cinereo colore. cibi fastidium sequitur et major sitis. quibusdam gravis doloris sensus est, vulnerati pulmonis ut etiam ejus fibras expuant. pulsus durus debilis ac dein formicalis — item
 fe-

sequitur oculos exoletus
 aspectus et corporis tenui-
 tas quæ nudatis membris
 proditur, majis quam ex
 aspectu vultus, quosdam e-
 tiam sibilatio vel stridor
 thoracis sequitur, et cre-
 scente passione, sudor su-
 periorum partium usque
 ad pectoris finem, cibi fas-
 tidium et major appetitus
 fitis: digitorum summita-
 tes crassescunt. sequitur
 præterea inflatio pedum, et
 nunc frigus nunc fervor
 articulorum, nasi summi-
 tas pallescit, atque aurium
 laminæ frigescunt. hinc
 pejorante passione ventris
 efficitur fluor albidarum
 eges-

egestionum. discernunt præterea plurimi purulentum liquorem, phlegmata carbonibus imponentes quo exusta probentur.—Cælius Aurelianus.

Extenuatur totum corpus, — febris molestat hæctica, a cibo invalescens, (quæ ex celeritate pulsus, rubedineque genarum dignoscitur) — materia per tussim excreta cruenta est aut purulenta. in ignem coniecta tetram spirat odorem, et immissa in vas aqua repletum fundum petit. sudores nocturni superveniunt, — livescant tandem genæ, — facies pallet, — exacuantur nares,

nares,—temporum quoque
 collapsus, — unguium in-
 curvatio, — capillorum de-
 fluxio, — et alvum proflu-
 vium colliquativum mor-
 tem statim subsecuturam
 denuntiant — Sydenham.

Annon sexus muliebris
 mensium obstructione, et
 sæpe fluore albo valde acri
 afflicatur? annon debilitas
 major quam aliis chronicis
 morbis?

Causæ proximæ.

Causa phthiseos pulmo-
 nalis quam proxima est,
 materia inflammatoria nec
 resolubilis pulmonem infer-
 ciens. — Battie. Aflu-

A fluidis et acribus et febre depascente oriuntur hæc symptomata. — causa proxima est ulceratio pulmonum. — Home.

A fluidorum alienatione, penuria, inequalitate aut calore improporcionado profecto. — Bennet.

Causa phthiseos pulmonalis in genere est totius massæ sanguinis et spiritus nervosi prava dispositio. — Morton.

Debet esse cachochymia purulenta in humoribus una cum pulmone affecto. — Van-swieten.

Exulcerationes pulmonum causæ multæ esse possunt,

D

sunt,

sunt, sed duæ præcipuæ et frequentissimæ, sputum sanguinis repressum nec expurgatum, et defluxus pituitæ falsæ a cerebro calefacto. — Hollerius.

Sunt ergo tres omnino causæ tabis phthoe, ulcus ferinum, febris hæctica, et spiritus seu aeris tabifica qualitas. — Duretus.

Origo deducitur ab omni causa quæ valet sanguinem in pulmonibus ita filtrare ut in materiam purulentam abire cogatur.--Boerhaave.

Causam ergo phthisis immediatam proximam esse exulcerationem pulmonum censemus. — Dolæus.

Ul-

Ulceris pulmonis causa proxima et immediata est, humor acer et erodens qui vel aliunde in pulmonem influet, vel in ipso pulmone generatur.--Riverius.

Interna et quidem proxima causa est humor acris, seu natura sua scilicet biliosus et serofus, seu ratione acquisitæ putredinis talis, sanguineus nimirum, vel humor pituitosus putrescens. — Sennertus.

Sanguinis et humorum in vasis stagnationes ubi firmiter iis insistant, phthi-
seos sunt generatrices. —
Hoffman.

Annon irritatio fibrarum

vasculorum pulmonis minimorum major quam iuxta, proxima hujus morbi causa existit?

Causæ remotiores.

1. Pleuritis vera pulmoni contiguo phlegmonem peripneumonicam communicans. —
2. tussis irrequieta teneram pulmonis substantiam dilacerans. —
3. Causæ Hæmoptyses quæcunque. — Battie.

Causæ procatarcticæ sunt acris materia a pulmonibus separata, tussimque excitans;—fumus arsenicus vel carbonum;—aer humidus; tuber-

tubercula;—hæmoptoe;—
 evacuationes solitæ dimi-
 nutæ vel repressæ; — ani-
 mi pathemata inordinata;
 — nimia cibi potusque in-
 gurgitatio; — vita sedenta-
 ria; — corpora extranea in
 pulmones delapsa; — vul-
 nera; — morbi diversi uti
 scorbutus, scrophulæ, af-
 fectio hysterica, lues, asth-
 ma, febres continuæ, re-
 mittentes, pleuriticæ, pe-
 ripneumonice, scarlatinæ,
 variolosæ, morbillosæ; —
 contagium;—dispositio he-
 reditaria. — Home.

Causæ procatarcticæ sunt
 1. suppressio solitarium e-
 vacuationum. — 2. pathe-
 mata

mata animi graviora, præcipue vero metus, tristitia, iracundia, cogitatio nimia. — 3. cibi et potus nimis plena et intempestiva ingurgitatio. — 4. exercitii debiti neglectus. — 5. studia nocturna et longæ vigiliæ. — 6. aer etiam palustris et densus, carbonumque fumo oppletus. — 7. dispositio etiam hereditaria. — 8. mala pectoris formatio. — 9. contagium. — 10. lapides cretacei. — 11. morbi etiam particulares. — Morton.

Corporis succi calore immoderato attenuati et subtiliores quam par est redditi,

diti, ad nutritionem inepti
 sunt, 1. quia balsamica in-
 digent consistentia. -- 2. quia
 concitatori circulantur mo-
 tu. — 3. quia humidum
 depascendo propria conte-
 runtur industria. — phthi-
 sis est tabes a succorum pu-
 tredine suborta, erosione,
 echymomatis, abscessus,
 aut cujuslibet in pulmone
 aut pectore fordescentis
 soboles — nec defunt qui
 hujus cladis ab ortu cras in
 important, sunt quorum
 parentes valetudinarii aut
 tabidi periere; hisque sca-
 pulæ acuminatæ, præcordia
 contracta, pectus angustum
 et depressum, cervix gra-
 cilior

cilior et oblonga, omnium pectoralium tenor flaccidissimus, caroque totius corporis musculosa tenerima. — Bennet.

Hæ causæ possunt referri
 1. ad ipsam corporis temperiem qua vergunt in hæmoptoem. hæc consistit
 α. in teneritudine vasorum arteriosorum et in impetu acrioris utcunque sanguinis.—β. in ea debilitate vasorum qua ingesta obstructions, putrefactiones, acrimonias suscipiunt. —
 γ. in ea ætate qua vasa ulteriori productioni suæ resistunt. — δ. in hereditaria dispositione.—hæmoptoem
 ac-

accelerant — 1. omnes con-
 suetæ excretiones intercep-
 tæ. — 2. vis quæcunque
 magna pulmonibus illata
 tussi, &c. — 3. victu acri
 salino, aromatico; potu
 simili; vita; morbo alio:
 — si vero ob magnitudinem
 mali &c. oritur dyspnoea
 &c. signat vulnus hæmop-
 toes, jam collectam mate-
 riam mutare in pus, collec-
 tionem abire in vomicam
 tectam, qua rupta, in ulcus
 pulmonum apertum. ori-
 tur itidem collectio puris
 a peripneumonia quacun-
 que terminata in apostema
 &c. quin empyema ortum
 potest rodere, eliquare, con-
 sumere

sumere pulmonem, ut fiat idem morbus.--Boerhaave.

Phthiſeos cauſa eſt præter vitioſam pulmonum conſtitutionem, tum acris et falſa e capite diſtillatio; tum etiam humor acer a vicinis partibus ut in pleura &c. quæ in empyema convertitur &c. — Burnet.

Præterea cauſæ omnes quæ vaſa pulmonis rumpere et aperire poſſunt, thoracis contuſio, vocis nimia intentio; et ſimiles, thoracis vulnera penetrantia. unde Hippocrates talem etiam frequenter a partu contingere ſcribit: violentia enim rupturis et
vul-

vulneribusprehenduntur.
— Sennertus.

Annon a pressura infantis tempore gestationis?

Causæ hujus ulceris remotæ sunt variæ, sæpissime est nimia sanguinis et exinde natæ lymphæ acrimonia ac falsedo muriatica. ulterius vapores acidi, corrosivi minerales non raram tabem ac phthifim inferant. unde gypsum et calcem preparantes plerumque phthifici moriuntur. pertinent huc acidulæ et omnia vitriolata in iis qui debiliorum sunt pulmonum. potus vini nimis acidi et tartarei ad phthifim disponit — Etmullerus. Ne-

Negandum non sit molliorem et laxiorem pulmonum substantiam atque adeo corruptioni magis paratam ad hujus morbi generationem plurimum conferre. — Riverius.

certainly Tabis causa duplex est, una quidem pulmonis vitiosa constitutio, altera humor *excedens*. — Fernelius.

devoir Causis adde etiam quæ a cæca proprietate id præstant ut est lepus marinus. — N. Piso.

Causam statuimus esse particulas acidas et acres volatiles tamen pulmonum substantiam, vesiculas atque vasa corrodentes, imo
et

et sanguinem per diaphragm extravasatum in pus convertentes.—Dolæus.

Exulcerationis pulmonum causæ multæ esse possunt, sed duæ præcipuæ et frequentissimæ, sputum sanguinis repressum nec expurgatum, et defluxus pituitæ falsæ a cerebro calefacto.—familiaris est quibus oblongum collum, angustus thorax, caput infirmum, sublimes scapulæ tanquam alæ.—Hollerius.

Causarum ipsius phthoes aliæ sunt procatarcticæ, aliæ antecedentes, et alia conjuncta. procatarcticæ sunt repentina anni muta-

E

tio,

tio, et temporum defectio, et mala diæta. procatarticae causæ ad duas antecedentes omnino revocantur (si tertiam addideris infirmitatem scilicet pulmonis) una quidem prolapsus catarrhi ferini a capite, altera vero rhexis seu ruptio vasorum crassiorum in pulmonibus.—Duretus.

Quum pulmo sanguinem in seipsum traxerit, aut pituitam falsam et non rursus dimiserit, sed in ipsa coacta et compacta fuerit, tubercula fiunt. tuberculum autem pulmonis sic oritur: quum pituita aut bilis collecta fuerit, putrefcit,

cit, et quamdiu quidem adhuc crudum fuerit, tum dolorem tenuem, tum tussim siccam excitat: postquam vero maturuerit, eruperit; sursum vergat ac totum expuatur, venterque in quo pus erat confidat ac reficcetur, prorsus sanus evadit.—prima quidem fit a pituita. quum enim caput pituita impletum ægro-
tarit et calor accesserit, pituita in capite computrescit, ut quæ et moveri non potest ut decedat. postea quum crassefactæ fuerint et putrefactæ ac superexpletæ venulæ, fluxio in pulmonem fit. et pulmo ubi suscep-

susceperit, statim ægrotat, ut qui a pituita mordetur, quæ falsa est ac putrida. — Hippocrates.

Fere oritur e frigore hyeme contractio. quæ cum illos invaserit quibus pulmones ab ortu sunt infirmiores, omnino necesse est, ut a repetitis tussendi conatibus magis adhuc debilitentur, atque ita tandem alimento sibi proprio assimilando præ mala diathesi prorsus impares reddantur. hinc jam ingens pituitæ crudæ copia aggeritur, quæ continua pulmonum agitatione et vehementi nisu affatim per os rejicitur,

tur, pulmones exinde pure referti purulenta miasmata quaqua versum in carnes dispergunt. porro cum sanguis hac tempestate particulis humidis admodum scateat, perspiratioque a subita pororum constructione plus satis inhibeatur, particulæ hæ in pulmones depluunt, vel in glandulis fauces occupantibus reponuntur; unde jam humor catarrhi ritu pulmones irritat. cumque non jam amplius naturalem sibi pulmones œconiam statumque tueris valeant, glandulæ et tubercula adnasci solent. — Sydenham.

Id autem animadvertendum est, illos maxime his pulmonis exulcerationibus obnoxios esse, quos pueros aut juvenes strumæ vexaverunt. — Mead.

Now all these disorders come originally from colds, which are supposed to occasion a suppression of perspiration, at a time, when the fibres are most braced, the blood condensed, and the pores of the skin and lungs most contracted. — Pringle.

The measles and other inflammatory diseases of the breast, to which children as well as others are ex-

exposed, often lay the foundation of consumptions, so likewise will colds, the suppression of some salutary discharge, scrophulous and venereal affections. — Fothergill.

An tubercula necessaria sunt huic morbo ?

Prognostica.

Prognosim faustam efficiunt morbus adhuc recens, pus album, æquale, facileque rejectum, — nulla vel saltem parva febris, — respiratio libera, — tussis mitis, — appetitus haud prostratus, — thorax satis capax,

capax, — alvi laxitas, — juvenis, — cæteraque symptomata lenissima; desperatum, morbus hereditarius, — tussis ferina, — calor hecticus matutino tempore, — somnus haud vires refocillans, — antecedentes morbi febriles, — tabiscentia magna, — suffocatio, — diarrhoea, — sudor colliquativus, — pedumque tumores. acuta periculosior chronica; originaria symptomatologica. — autumnus tabidis nocet. — Home.

Empyema est fere semper intractabile. phthisis inter morbos difficillimos merito numeratur. — phthisis

sis quæ aut luem veneream
 insequitur, aut labi here-
 ditariæ debetur est, ut plu-
 rimum insanabilis. — su-
 dores phthifici sunt pessimi
 ominis, item diarrhea præ-
 cipue si tumor pedum oede-
 matofus accesserit. — ma-
 cies ad carpos phthifico-
 rum præcipue, notabilis est
 metuenda. — oculi pellu-
 cidiores et ungues recurvi
 sunt mali, summam etiam
 maciem indicant. — febris
 continua et immitis de sa-
 lute ægri sperare vetat. —
 vomica sanari nequit nisi
 perrupta fuerit; eadem
 tamen perrupta ægrum sæ-
 pe suffocat, nec sanatur
 nisi

nisi pus omne rejectum fuerit.—sputa quidem purulenta phthificum levare videntur, rejectionis salutaris spem aliquam at sæpius tamen irritam excitant.—sputa vero pituitosa levia ac spumosa nihil conferunt.—Battie.

Fluxio cujuscunque generis ex toto, plus importat periculi, quam illa quæ ex aliqua tantum parte in pectus protrudatur.--fluxio ex sanguinis restagnatione, seu imminuta deiadosi in vasis cordi vicinis, periculofior quam quæ ex partibus distantioribus in pectus suscipiatur.—sanguis
per

per vices in pectus confer-
 tim fluens minus pericu-
 losus quam qui sensim et
 jugiter emanaverit. — ex-
 travasatio sanguinis ex re-
 dundantia et tensione faci-
 lius curatur, quam illa
 quæ ex ejus alienatione et
 erosione ortum duxerit. —
 magis periclitantur pulmo-
 nes a pressura per denega-
 tam epatis percolationem,
 quam a regurgitatione ab
 infarctis vasculis. — si cri-
 tice et per transumptionem
 hæmoptica pulmoni super-
 venerit affectio, tuto non
 raro et cum totius adju-
 mento res succedit. — qui-
 bus pulmonum vasa a pe-
 renri

renni sanguinis affluxu et viscosorum expressione diutius ampliantur, concomitante asthma, quod nullas ob causam allatam dederit inducias, omnes fere vel rupto viscere, sanguinem in tracheam cum conjuncta colluvie effudere, vel asthma ferocius deprehensi, subito periere. — in omni fluxu periodorum postpositiones, præmissio præsidiorum usu utut abbreviationes et alleviationes, salutem pollicentur, et vice versa. — longiores periodorum mitiorum induciæ salubriores. — pulmonarii aquarum mitiorum affluxum
et

et transitum diutius ac facilius semper sustulere; humorum bilioforum ægre et per tempus tantum, salinorum vero ac nidororum crassescentium perfusione et expressione quam citissime pessumdantur.— a fluxione suffusionis maximum, instillationis minimum impendit periculi.— gibbosi et quibus membra amputata, fluxionibus magis laceffiti et phthisi maxime periclitantur.— si peractis sanguinis excretionibus pulmo minus sensibilis, aut pectoralia torpida, sanguinis reliquias per anacatharsim non apprime repur-

purgaverint, retenti sanguinis et ipsius pulmonis continentis computrescentia suborta phthisim minatur.—post sanguinis extravasationes, libera respiratio, tussis sedata, vires constantes, securitatis phænomena; et e contrario, si post cruentas excreationes sputum mucaginosum cæruleum et læve successerit et perferaverit, hæmoptysim in junioribus aut calidioribus recursuram denuntiat; si purulentum et in junioribus et ætate provectis phthisim, si nullum, cæteris paribus, incolumitatem — in nivium et grandinum
con-

congelatione, cæloque plu-
 viosi hæmoptoici magis
 tentantur. — a sanguine ex-
 travasato putrescente, bron-
 chia minus infarciuntur;
 a succo nutritio magis, a
 pituita maxime, si per coc-
 tionem viscida tenaxque
 remanserit. — denique si
 spirabilia materiam qualem
 cunque diutius retinuerint,
 medelæ difficultatem com-
 monstrant. — tabidorum
 languor sine pulmonum
 aut visceris cujuslibet cor-
 ruptela tacita vi obrepens,
 Anglis infestissimus est, et
 nisi primis obediverit re-
 mediis (quod rarissime e-
 venit) funestus. — phthisis

improvifo fatigans, licet
 pectus minus gravet, cum
 extremarum partium, pe-
 dum præcipue inevitabili
 infrigidatione, periculofif-
 fima.—phthifici quibus pul-
 mones ob lapidum et offi-
 um inæqualium innascen-
 tiam lacerati fuere, de-
 ploratiffimi. — qui bellariis
 et fymposiis nimis indul-
 ferint, phthifi languorem
 importante, maxime cor-
 ripiuntur et periclitantur.
 —fi partem deroſam fluxio
 copioſior et frequentior ir-
 rigaverit, periculofum. —
 corpora euroa licet cito
 liquantur et languent, ci-
 tius tamen medelæ emolu-
 mentum

mentum sentiunt, si curatio morbi initiis sit accommodata. — ad phthisim proni qui frequenter insipida sputant, tardius tabescunt. — qui phthisis indelebilem impressionem e parentibus susceperint, licet irrestituibiles, sunt tamen diuturniores. — phthifici omnes frequentiori, modo mediocri, narium hæmorrhagia detenti, diuturniores. — si suffusio sanguinis cum pari per nares expressione, arteriam pulmonariam simul occupaverit, minus periculosum, quam simplex in arteriam extrusio. — si phthisis diu

detinuerit et fluxus chylofus supervenerit, funeftum. — fi ephemera vel heftica per vices inæquales phthificum diutius exercuerint, fatalem indignant eventum. — phthifici cibum avide appetentes et exinde robur neutiquam acquirentes, desperati. — fi virginibus maturioribus, quibus fanguis menftruus non fluxerit, contigerit phthifis, ejufque in pectoralia fit anadrome, degeneratio peffima, depeculatio repentina, eventus funeftus. — pinnarum narium contractio, thoracis collapfi anguftatio, fi brevi fpatio con-

contigerint, moriturum ægrotantem denuntiant. — in phthisi diuturniori tumor pedum oedematofus, funestus. — phthifici quibus materia pectus onerans labem febris putridæ aut malignæ contraxerit, omnes periere. — quibus ab usu remediorum, aut plagarum mutationibus pectus angustum dilatatur, gliscit corpus, robur augetur, et color evadit floridior; salutis spes affulget denuo, per totum corpus relucens caloris vitalis eclampsei. — si saburram pituitosam aut illuviem falsuginosam inter purgandum

dum copiose secreverit phthificus, levamen maximum pectori adfert, et non exiguam salutis fiduciam creat.—phthisi diutius correpto, si bechica tenuioris substantiæ, si ve proritantia porrecta fuerint, et exinde tussis non moveatur funestum. — si artis adminiculo sputum variegatum sit concolor, si a fædato optime depuratum, si ab inæquali optime subactum, si a salino insipidum, si a fætente inodorum, si denique facilius provenerit, sanitatis futuræ indicio est. — Bennet.

1. Phthisis hereditaria omnium pessima. — 2. phthisis
fis

sis ab Hæmoptoe, sine vitio
 præexistente interno leviss-
 sima est cæteris paribus.—
 3. phthisis in qua subito
 rumpitur vomica,—expui-
 tur pus album,—coctum,
 æquale,——facile respon-
 dens copia ulceri,—sine
 fiti,—cum appetitu,—di-
 gestione, secretionem, ex-
 cretione bona; difficulter
 quidem, tamen sanari po-
 test.—4. phthisis ab em-
 pyemate insanabilis.——
 quæritur?—5. sputa gravia
 solida, olentia, dulcia, cum
 signis ultimis, desperata.
 —Boerhaave.

De tabescentibus quod ad
 sputum ac tussim attinet,
 eadem

eadem dico quæ de pectore suppuratis scripsi. oportet enim eum qui probe liberari volet, facile sputum per tussim rejicere et id esse album et æquale, et ejusdem coloris, et ab inflammatione alienum. — quod vero a capite defluit ad nares converti, febrem autem non invadere, ut ne a cænis prohibeatur neque sitiat. — venter autem egerat quotidie et id quod degerit sit durum, copia pro ratione ciborum ingestorum. — hominem vero quam maxime tenuem esse oportet. — pectus autem laudare convenit quadragulum

gulum et hirsutum et os ipsius parvum sit et robustum carnosum. quicumque enim hæc omnia habuerit, maxime superstes erit; qui vero nihil horum habet interitui proximus. — quibus in pulmone tubercula fiunt, pus educunt ad dies quadraginta post ruptionem. — has vero transgredientes plerumque tabidi fiunt. — facie flores habente et alvo liquidiore, suppurationes circa pulmonem habent. — quibus est vomitus sanguinis, febris multa, et dolor circa mammam, thoracem et dorsum, quibus hæc omnia fiant, brevi

brevi moriuntur, — quibus
 latus sublevatum in tumo-
 rem, ac calidius est, et in-
 clinatis in alterum gravi-
 tas aliqua impendere vide-
 tur, his pus ex una parte
 est. — suppuratis pulmo-
 num, per alvum pus sece-
 dere, lethale est. — qui-
 cunque vulnerati in thora-
 cem externa vulneris parte
 sanati sunt, interna non,
 periclitantur ne suppurati
 fiant. — quibus suppuratis
 dum concutiuntur, multus
 strepitus de humeris fit,
 minus puris habent hi,
 quam quibus paucis, si dif-
 ficilius spirent, et melio-
 rem colorem habeant. —
 qui-

quibus autem strepitus quidem nullus fit, verum difficultas spirandi fortis et ungues lividi, hi pleni sunt pure, et perniciose habent. -- qui spumofum sanguinem vomunt, dolore infra septum transversum non existente, de pulmone vomunt. — quibus tabidis sputum in igne gravem nidorem olet, et capilli de capite fluunt, pereunt. — quibus tabidis in mare expuentibus pus ad fundum fidit, brevi pereunt, fit autem mare in æneo vase. — quibus tabidis capilli ex capite defluunt, a profluvio alvi moriuntur. — et

G

qui-

quibus tabidis alvi profluvia accedunt, moriuntur. — in tabidis sputa suppressa, mentem ad nugas garrendas emonent, his spes est hæmorrhoidem apparere posse. — tabes periculosissimæ, a ruptione venarum crassarum, et a defluxu de capite. — ætates periculosissimæ sunt ad tabem ab anno decimo octavo usque ad trigesimum quintum. — pruriginosa corpora post alvum suppressum in tabidis mala sunt. — in habitibus tabescentibus cum febre, fluxiones ad gingivas et dentes comparentes malæ sunt. —
in

in omnibus, in tumorem elevata præcordia, mala sunt; in tabidis autem pessima. — ex his qui diutina tabe perniciose consumpti sunt, aliqui ante finem rigore apprehenduntur. — pustularum eruptiones velut ferro lancinatae habitus tabem significat. — difficulter spirantes ex putredine multa cruda educentes in tabe, perniciose habent. — Hippocrates.

Annon pulsus exilis et frequens* symptoma perniciosum

G 2

niciosum

* Juvenis tamen cujus pulsus 150 vices intra minutum per aliquot menses movebatur, mistura Riverii salina et pectoralibus et acidis et aquis Bristolienfibus, nuperrime convaluit.

niciofum habetur? — an-
non tumor universalis præ-
nuntiat mortem.

C U R A.

Febris hectica curatur,
1. demulcentibus et invif-
cantibus medicamentis, ex
amygdalis dulcibus, de-
coctis ex vegetabilibus mu-
cilaginosis, hordeo, althea,
tuffilagine &c. jufculis pul-
linis, gelatinis et oftreis fi
ftomachus ferat.—2. diæta
lactea, lacte præcipue afi-
nino vel muliebri, feroque
lactis præcipue caprini. —
3. corroborantibus et leni-
ter astringentibus, ut con-
ferv.

ferv. rofarum rubr. tinct.
 rofar. elix. vitriol. cort. pe-
 ruv. aquis ferrugineis &c.
 — 4. equitatione continu-
 ata et peregrinatione. —
 5. primas vias a sordibus
 liberando vomitu leni et
 Rheo. — 6. attentione sem-
 per habita ad causas remo-
 tas evitatis venere et animi
 pathematibus et curis. —
 tubercula cruda deobstru-
 entibus lenissimis summa
 cum cautela adorienda. —
 ad dysenteriam conveniunt
 Rheum et astringentia ; ad
 tussim et insomnium pec-
 toralia et opiata ; ad su-
 dores nocturnas corrobo-
 rantia, stragulæ paucae, ad

nauseam et vomitum acida.
 — cura preservatoria niti-
 tur venæsectione quater in
 anno celebrata, diæta regu-
 lari, immunitate a catarrho,
 aeris nocturni evitatione,
 et exercitio. — Home.

In primo hujus morbi
 limine, plane indicantur,
 — 1. accensam diathesim
 spirituum conciliando ani-
 mum quietum atque hila-
 rem esse demulcendam,
 massamque sanguinis me-
 dicamentis alterantibus e-
 mendandam, in quem cen-
 sum redigenda non tantum
 lactea diæta, aquæ mine-
 rales chalybeatæ, et medi-
 camenta vulgo dicta pul-
 monaria,

monaria, verum etiam balsamica et specifica quæ respectum ad ægri idiosyncrasiam habent. — 2. saburram effæti et morbidi humoris, in habitu corporis delitescentis, emeticis, catharticis, diureticis, et diaphoreticis leniter evacuandam. — 3. obstructions esse removendas, tonumque partium confirmandum ex usu chalybis, medicaminum balsamicorum, salium volatiliorum &c. — 4. hæcticam et colliquativam calorem, seu catarrhalem sanguinis statum impediendum vel minuendum, tempestiva et copiosa

copiosa venæsectione. —
 5. affectæ partæ prospicien-
 dum feri catarrhosi concoc-
 tionem maturando. quod
 fit non tantum medicamen-
 tis mucilaginosi et alteran-
 tibus; verum etiam leniter
 evacuantibus, super omnia
 vero prudenti et alterna-
 tivo usu abstergentium et
 incidentium. — in secun-
 do hujus morbi gradu, ubi
 primum scilicet tubercula
 in pulmonibus fiunt cum
 arida tussi, et quamdiu illa
 manent cruda; absque ulla
 insigni inflammatione et
 exulceratione, indicationes
 sunt fere eædem quæ pri-
 us, nisi diligentius insisten-
 dum

dum fit prælargo ufui alterantium et balsamicorum, chalybeatorum, antiscorbuticorum, millepedum. — ubi autem per inflammationem et maturationem tuberculorum, ad ultimum stadium deventum fuerit.

1. tempestiva venæsectio, ita etiam julapia temperantia et cordialia, diæta admodum tenuis, copiosaque medicaminum pulmonarium (præcipue autem oleosorum et mucilaginosorum), subindicantur. —

2. ubi autem in ulcerationem a putrida intermittente immaniter colliquativa excipi contingat; cordialium,

nodulum sanguinis in opi-

opiatorum lubricantium et
 abstergentium usus subin-
 dicatur.—febris etiam pu-
 trida eradicatio tentanda
 est quæ utcunque a cor-
 tici peruviani usu infidas
 det inducias, nullam tamen
 curationem eradicationem
 absque ulcerum sanatione
 admittit, quod fiunt. —
 1. cathartica uti manna
 &c.—2. diuretica.—3. di-
 aphoretica velut Rad. farfæ
 &c. in decoctis.—4. pul-
 monaria, in quem censum
 referre soleo — 1°. omnia
 simplicia et composita quæ
 humorum acrimoniam re-
 tundendo catarrhalem five
 colliquativum sanguinis sta-
 tum

tum minuunt. — 2. medicamenta lubricantia et incidentia. — 3. carminativa quæ constrictionem spasmodicam removent. — 4. incrassantia et glutinantia. — 5. deobstruentia quæ infarctas glandulas liberando eas minuunt. — remedia chirurgica in hoc morbo sunt, fontanellæ, vesicatoria, rasura capitis, applicatio emplastris cephalici e betonica, &c. — Morton.

Indicationis potissimum erunt hæ tres, 1. sanguinis inordinationem, a qua feri fluxiones procedunt, sedare aut tollere, pro utriusque victus ratio tenuis, atque

que frigoris externi injuria
 sedulo vitata, diaphoresis
 paulo uberius procurari
 aut saltem assueta restitui
 debet. si nihilominus tussis
 ingravescat, phlebotomiæ
 modo vires et constitutio
 fere semper juvant. in hunc
 usum decocta pectoralia,
 quatenus humorum acidi-
 tates destruunt, sanguinis
 dissolutionem, ac in sero-
 sitates fusionem inhibent,
 adhibenda pari etiam ra-
 tione et efficiendi modo,
 medicamenta ex sulphure
 parata contra tussim insig-
 niter juvant. — 2^a. Indi-
 catio est, ut serum alia-
 que sanguinis recrementa,

a pulmonibus derivata per alias vias evacuentur, per diaphoretica, diuretica et lenia purgantia, itaque post phlebotomiam mite catharticum exhibemus. — 3. indicatio est ut pulmones eorumque ductus contra humorum fluxiones et frigoris occurfus muniantur et duo imprimis respexit. — 1. ut vasorum oscula ne serositates in tracheam nimis expuant, modice astringentibus occludantur, conserv. ros. rub. oliban. mastiche, lohoce de pino. syr. jujubimus, de ros. sic. de musco pyxidato. — 2. ut ductuum tracheæ
 H latera

latera satis mulceantur, delinianturque per liquiritiis, oleo, amygdal. dulc. — Willis.

Præter illa autem quæ obviscando qualemcunque acrimoniam enervare valent, vel opposita virtute illam destruere, semper in usu fuit medicis, ut per illas vias quibus naturali lege exire solent acriora de corpore, eadem prudenter eliminare, auctis secretionibus et excretionibus naturalibus. viæ illæ regiæ tres præcipuæ sunt, per cutis vasa nempe, per renes et per alvum. — Van-Swieten.

Post-

Postquam vomica jam facta in pulmone, indicatio oritur medica eum ilico maturare, rumpere: quod fit victu lactea, motu equitationis, vapore tepido, expectorantibus. ubi rupta tum, 1. sanguinem munire contra infectionem purulentam oportet, ope medicaminum leniter et grate acidorum, falsorum, herbarum vulnerariarum, balsamicorum lenium, omni forma magna copia usurpatorum.—2. ulcus quantocyus evacuare pure, et labia abstergere, consolidare per medicamina liquida, diuretica, tussim moventia

interna externa, motum expellendo: tum ope abstergentium balsamicorum internorum externorumque depurando, atque ope consolidando. — 3. hujusmodi in corpus ingerere quæ minimam requirant vim ut per pulmones fluere, et ibique subigi queant, tamen nutrix apta, et puris refec-tioni inepta ad hanc indicationem, ptisana, juscula, lacticia spectant. —————
Boerhaave.

Accedimus jam ad methodum medendi curativam. quo in casu nec rectius nec melius datur præfidium quam lactis cura
de

decenter usurpata: admix-
 tione etiam aquarum salu-
 brium, et cum infusis et
 decoctis herbarum vulne-
 rariarum ut consolidæ ma-
 joris radicis. — quod si de-
 inceps primæ viæ colluvie
 sunt repurgandæ, folia fen-
 næ, rhabarbarum, et man-
 na cum lacte vel solo vel
 aquato et acidulis tempera-
 tioribus diluto, vel etiam
 cum fero lactis commode
 possunt infundi, leniterque
 decoqui. vidi quoque mag-
 nesiam ad drachmam u-
 nam vel duas cum aliquot
 lactis caprini datum e-
 gregie alvum subduxisse.
 cum anodynis etiam et bal-
 famis

samis pectoralibus. —

Hoffman.

Ad corrigendam igitur pravam illam propensionem convenit victus refrigerans et humectans, et ea omnia quæ sanguinem corrigere, tumque mitem ac blandum reddere possunt, aquarum dulcium balnea, lactis usus, radic. chinæ, et multo efficacius decoctum fantalorum. his addenda est mutatio aeris. tota igitur jam factæ et confirmatæ phthiseos curatio versatur in ulceris abstersione et conglutinatione, causarum producentium ablatione, febris hæcticæ oppug-

pugnatione ac consumptionis restauratione. — primo igitur quia cachochymia redundans in corpore, ulcus pulmonis fovere et augere solet, blandis purgantibus auferenda est, per intervalla repetitis, quamdiu corpus non est valde consumptum. in principio etiam valentiora purgantia usurpati possunt ad catarrhum acrem et falsam potentius revellendum. — in principio etiam antequam corpus sit emaciatum convenit venæsectio, ac præter illa remedia, fetaceum cervici admotum summe est efficax. — lac omnes inten-

tentiones propositas adimpleret. — Riverius.

Cura Atrophiciæ et tabis eo est dirigenda ut 1. causa quæ vel alimentum exhaurit, vel primarius morbus removeatur; unde sæpissime aut stomachus curandus, aut acrimonia sanguinis temperanda, aut denique ulcus visceris sanandum. — 2. alimenti copiosi ac laudabilis succi, facilisque digestionis propinanda. — ratione stomachi convenit vomitus, hinc acida blanda conducunt. — ratione acrimoniæ, sulphur, succinum, myrrha, antimonium diaphoreticum Poterii,

rii, papaverina et opiata, tragacantha &c. his soci-
entur ligna in specie sassa-
fras et rad. Chinæ. hinc
Guaiaci et his lignis parata
decocta. — Etmullerus.

Phthifici an purgandi?
præclara est decisio de ea
re apud Arculanum cap. de
phthifi. contradictio est ait
inter Avicennam et Mesuen
ex una parte et Rhafin ex
altera: ratio hujus fuit,
quod ratione hectica vitan-
da sunt solutiva, ratione
ulceris ut ulcus non con-
venit. ratio Avicennæ et
Mesuæ quod solutiva con-
veniant ut auferatur causa
tam factiva quam conser-
vativa

vativa sicut catarrhus.——

Ballonius.

Cum phthisi consumptis
si alvi fluor supervenerit
lethale est, maxima cauti-
one utendum est, si in iis
alvus non dejiciat in usu
subducentium; blande e-
nim omnino agendum, ne-
que cassiam, prunorum dul-
cium decoctum, mannam,
mel rosatum solutivum
transcendere debemus. —

Septalius.

Chymici vero ut ob-
structio pulmonum tolla-
tur, et spiritus salis hostilis
sive coagulans sui resol-
vens et erodens corrigatur,
exhibent spiritum tartari,
salis

salis dulcis, lac flores balsamumque sulphuris, spiritus et oleum terebinthus, myrrham &c. ad modice vero adstringendum, consolidandum et corroborandum magnifaciunt tincturam corallorum, liquorem perlatum, essentiam croci, laudanum Paracelsi, præ aliis tamen laudant corollatum dulce mercurii diaphoretici, quo remedio Paracelsus (prout ipsius epitaphium habet) tabes multas curavit. — Dolæus.

Qui hac affectus est ei caput est purgandum debili medicamento, donec fluxus avertatur, diæta autem
utere

utere velut in tabe superiori.
 medicamentum potandum præbe elaterium
 deorsum purgans, et inferne
 alvum lacte infusum.—
 quum febris remiserit, multa
 calida lavetur, et multis
 sorbitionibus utatur: ptisanæ
 succum coctum, melle ad
 coctum affuso sorbeat.
 quum vero pus expuere inceperit
 eadem bibat quæ prior suppuratus
 et cibis et potibus et obsoniis iis
 deinceps utatur, abstinens ab acidis
 et acerbis et falsis et pingui-
 bus et a venere ac ebrietatibus.
 — bibat etiam lac bubulum
 ac caprinum pro tempore,
 prius autem sub-
 pur-

purgetur lacte afinino coc-
 to. — bibat etiam equinum
 lac excolatum quotidie
 mane. — si in latere tuber-
 culum nascatur et suppu-
 ratus fiat, in primis diebus,
 sorbitionibus utatur, ptifa-
 næ succo cocto, melle af-
 fuso quum sorbitio cocta
 fuerit. vino autem utatur
 albo, dulci aut austero et
 aquoso, et ut vinum sæpe
 sorbiat ac expuat iubeto.
 et a somno impedito donec
 undecim dies preterierint.
 post hos cibis paucissimis
 utatur, carnibus catulinis
 aut galli callidis. oportet
 autem ipsas probe cum jus-
 culo præparare et juscu-
 I lum

lum abforbeat. — in tabe a
 pituita primum quidem ve-
 ratrum bibendum dare, in-
 fra autem subpurgare epi-
 thymo, aut peplio, aut gra-
 no cnidio, aut tithymalide.
 dandum est et lac afininum
 coctum ad subpurgatio-
 nem. bibat etiam crudum
 lac bubulum tertia aquæ
 mulsæ parte ammixa, am-
 mixto etiam origano. — ca-
 put autem ipsius prius pur-
 getur, pharmaco adnares
 apposito. cibaria autem
 et obsonia dentur neque
 pinguia, neque nidorosa
 neque valde acria. hæc
 autem morbum observan-
 do facere oportet et de am-
 bu-

bulationibus ad cibos uti
 observando ne frigeat hy-
 eme vero juxta ignem ha-
 bitationem faciat. vinum
 autem bibat austerum, ni-
 grum, quam vetustissimum
 ac jucundissimum, verum
 modicum. et si tibi visum
 fuerit ante pharmacum,
 fomentum adhibeto, et sic
 pharmacum dato, si vero
 dare nolueris, facto fomen-
 to, vomitum ex cibis facere
 cogito. —Hippocrates.

Laboranti ipsi injungen-
 da est, ut nec magna uta-
 tur respiratione, ac semper
 agat silentium, præterea
 vena cubiti interna protin-
 us incidenda, a qua bis
 1 2 ter

terque postea sanguis est detrahendus revulsione causa, tum artus omnes fricandi vinciendique ita ut ipsi solemus, ubi hæc sunt facta primum posca, tum diluta tum tepida potui est offerenda, quo si quis in viscere cruor concretus latet resolutus expuatur. — ab his vero etiam aliquid eorum quæ tum emplasticam vim habent tum adstringunt exhibendum. — Galen.

Istos sane si et tabes male habet, ocyus succurrendum est ad balneum deducendo et corpus dimovendo. tabis quoque lac medela

dela est et nutritio et
 ventris calefactio et vesicæ
 lenitio. castoreum utique
 istis opportunius est atque
 lenius et potui datum et
 illitum et in intestinum in-
 fusum quemadmodum in
 navi et tranquillitate, nam
 si recte habuerit ægrotans
 in mari gestatio fieri pote-
 rit atque ibi vitam deget;
 cum ulceribus enim quid-
 dam ficcum marina salsugo
 communicat. a gestatione
 quiete concessa utendum in
 præsentia pingui oleo, post
 frictionem oleum cum a-
 ceto infundatur. — — —
 Aretæus.

Itaque cataplasmata in
 1 3 prin-

principio usurpanda sunt, ex semine lini et tenuissimo polline cum decoctione fænugræci et althææ oleoque et melle, post temporis deinde intercapedinem ad cerata transeundum ex Butyro et oleo saurino ac cera apparata. — Aetius.

Thorace vero fluxionibus infestato emplastrum ex salicibus imponendam est. convenit ipsis etiam mithridatis antidotus ex intervallis, et quæ ex viperis paratur, optimum vero his auxilium est armenæ Boli potus et antidotus Efdra non minus quam prædicta. — Ægineta.

Curare

Curare ibi oportet humores qui ibi sunt, parando ut tussi educi facile queant diligentia quoque adhibita, ne alii præterea colligantur. porrum ergo capitatum in ptisana tam diu coctum ut lique scat, conveniet. potus sit aqua pluvia quæ satis etiam decocta sit. lactis potus est tabidis omnium utilissima. — Oribasius.

Opus est si vires patiuntur, longa navigatione, cæli mutatione, ut densius quam id est ex quo discedit æger petatur: si navigationem aliqua res prohibet lectum vel alio modo cor-

corpus movendum est, vitanda cruditas et sol et frigus, os obtegendum, tussicula suis remediis finienda, et quamdiu quidem febricula incurSAT, huic interdum abstinencia, interdum etiam tempestivis cibis medendum eoque tempore bibenda aqua. lac quoque recte dari potest. quod si febris remisit decurrendum est ad modicas exercitationes, maximeque ambulationes, item leves fricationes. balneum alienum est. cibus esse debet primo acer ut allium &c. oryza quoque et si nihil aliud est far idem præstat — si vehementer

menter noxa est ac neque
 febricula neque tussis qui-
 escit, validioribus auxiliis
 opus est: exulcerandus est
 ferro candenti, uno loco
 sub mento, altero in gut-
 ture &c. extremæ partes
 perfricandæ sunt. inter-
 positu denis diebus demit-
 tendus æger in solium est,
 in quo sit aqua calida et
 oleum. cæteris diebus bi-
 benda aqua, tum vinum,
 si tussis non est potui frigi-
 dum dandum, si vero est
 egelidum, medicamentum
 est etiam vel plantaginis
 succus per se, vel marrubii
 si cum melle sit incoctus,
 præcipua tamen ex his om-
 nibus

nibus sunt victus, vehiculum, navis, et forbitio. alvus cita vitanda est. qui meliusculus esse cæpit, ad-jicere debet exercitationes, fricationes, cibos; deinde ipse se, suppresso spiritu perfricare, diu abstinere a vino, balneo, venere. --- Celsus.

Primum educatur e brachio sanguis, dein subducatur alvus ad tres continuos dies. tertia nocte exhibeatur fyrup. e mecon. semunc. intermisso biduo triduoque pro re nata repetatur purgatio. post singulas catharfes jam finitas capiat opobalsami guttas viginti
nihil

nihil superbibendo, vel pil
e terebinthina chio cum
saccharo cando confectum.
opobalsamum non est as-
sumendum, nisi prægressis
evacuationibus debitis, hu-
jus loco elect. e bals. loca-
tell. glycirthiz. pulv. fem.
anisi et terebinthina con-
cinnatum poterit substitui,
ut tussis sedeter syrupus
usurpari possit. at vero
palmarium hujusce morbi
præsidium est ut æger quo-
tidie equo vehatur.——
Sydenham.

His omnibus nobile illud
antidotum cortex peruvia-
nus adjunctis illis quæ pul-
moni conveniunt opitula-
bitur.

bitur. hoc vero inedicamentum, cum jam exulceratus est pulmo plurimum nocet. in usum lactis cautione tamen hic opus est, quoniam nonnulli lac averfatur, quin etiam in capitis doloribus ac febribus acutis, factaque hinc nimia fiti, item si præcordia tum-
eant, seu biliosæ sunt alvi dejectiones, aut multum sanguinis cum iis fluxerit; pro veneno lac semper reputari debet. asininum autem licet minus nutriat, magis tamen calorem temperat et deterget: in hujus loco serum caprini aut vac-
cæ communis substitui pos-
sunt.

sunt. momenti autem longe maxime est ut incipienti diro hoc morbo occurratur; cumque ab inflammatione oriatur, missio sanguinis imprimis necessaria est, non semel tantum sed vicibus iteratis. finem his imponam post quam monuerim in casibus nonnullis utilissimum esse balsamicis, humores acres et falsos delinire ac temperare, quæ in prunas injecta vaporare debent, ut fumus eorum per tubum aptum in asperam arteriam et pulmonem recipiatur.--Mead.

In the first stage of a consumption, I have trusted most to small but repeated

peated bleedings, to setons, and to a low and cool diet. in a putrid state of the humours, the ptisan is to be acidulated. butter-milk is here particularly good. colliquative sweats are sometimes checked by lime water, sometimes by elixir of vitriol. where the cough is occasioned by ulcers, I have used the balsam of peru, but have not found it more efficacious than the copaiva. where a thin rheum falls on the trachea, I have commonly used the conserve of roses and opium; the bad qualities of the latter are to be corrected by squills. I have frequently

quently given three or four spoonfuls, once or twice a day, of a decoction, or infusion of the bark, with a good effect, when the patient complains of lowness of spirits, and was not in the last stage of the distemper. — Pringle.

When a cough begins, if the patient is very young, let the quantity of diet, especially solids, be lessened; let the deficiency be made up with warm, thin suppers, barley water, &c. if there be much heat, or any pain in the breast, bleeding will be indispensably necessary; the most demulcent and cooling medicines

dicines are indicated, and when the symptoms of inflammation are abated, gentle anodynes will be useful. — Fothergill.

Morbus hic estne unquam curabilis?

Annon diaphoretica in principio juvant?

Annon Antimonium aliis hujusce generis medicamentis præstat?

Annon utilissimum est neutralibus conjungere salibus?

Quorsum conveniunt Aquæ Bristolienfes?

Annon adstringunt et sudores corrigunt colliquativos?

E R R A T A .

Pag. 9. lin. 13. *pro* contabescat *lege*
contabescit.

p. 11. l. 7. contrahantur *lege* contra-
huntur

p. 16. l. 16. plurimam *lege* plurimum

p. 24. l. 4. medio *lege* media

p. 25. l. 1. corvix *lege* cervix

p. 29. l. 19. livescant *lege* livescunt

p. 41. l. 12. inferant *lege* inferunt

p. 74. l. 2. partæ *lege* parti

p. 76. l. 10. quod fiunt *lege* quem faci-
unt

p. 77. l. 15. Indicationis *lege* Indica-
tiones

p. 80. l. 2. *dele* per.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION
500 FIFTH AVENUE
NEW YORK 10017
The following books are
on deposit with the
Library
for the use of the
Public
and are not to be
loaned out
of the Library
without the
special permission
of the Board of Trustees
of the Library
and the Board of Directors
of the Foundation
The books are to be
returned to the Library
at the expiration of
the term for which
they were deposited
and are to be
replaced by new
books of the same
kind and value
as the old ones
The books are to be
kept in the Library
and are not to be
loaned out
of the Library
without the
special permission
of the Board of Trustees
of the Library
and the Board of Directors
of the Foundation
The books are to be
returned to the Library
at the expiration of
the term for which
they were deposited
and are to be
replaced by new
books of the same
kind and value
as the old ones

1/2

30/-

